



Hug. Grotii Batavi Syntagma Arateorum : opus poeticae et astronomiae studiosis utilissimum

<https://hdl.handle.net/1874/214861>

7

ARATI SOLENSIS
P H A E N O M E N A
E X M E T A P H R A S I
H V G . G R O T I I
intertextis Ciceronis reliquiis.



B I O V E Musarum primordia : sem-
per in ore

Plurimus ille hominum est, qui compita numine
magno,

Conciliumque virum complet, pelagusque pro-
fundum,

Et pelagi portus. fruimur Jove, & utimur omnes.

5 Nos genus illius, nobis ille omine lato

Dextera prae signat, populumque laboribus urget,

Consulat ut vitæ: quando sit terra ligoni

Aptior, aut bubus monet, & quo tempore par sit,

Aut serere, aut septas lymphis adspargere plantas.

10 Ipse etiam in magno defixit sidera mundo

Ordine quæque suo, atque in totum providus annum

Astra dedit, quæ nos moneant, quæ qualibet horâ

Aptæ geri, certâ nascantur ut omnia lege.

Idem ergo primus placatur, & ultimus idem.

15 Magne pater, magnum mortalibus incrementum,

Progenies prior, & dulces ante omnia Musæ,

Cuncti unâ saluete mihi, & dum sidera canto,

Si ius fasque sinunt, longum deducite carmen,

Cætera labuntur cæleri celestia motu,

20 Cum cæloque simul, noctesque diesque feruntur,

Axis at immotus nunquam vestigia mutat,

Sed tenet æquali libratis pondere terras;

A

Quem

Quem circum magno se voluit turbine caelum.
 Extremusque adeo duplici de cardine vertex
 Dicitur esse Polus, quorum hic non cernitur, ille 25
 Ad Boream, Oceani supera confinia tendit:
 Quem cingunt Vrsae celebres cognomine Plaustri,
 Quas nostri septem soliti vocitare Triones.
 Alterius caput, alterius flammantia terga
 Aspicit, inque vicem pronas rapit orbis in ipsos 30
 Conuersas humeros. Cretâ (si credere fas est)
 Ad celi nitidas axes venere relictâ:
 Iupiter hoc voluit, quem sub benevolentibus herbis
 Ludentem Dicti, grato posuere sub antro,
 Idæum ad montem, totumque aluere per annum, 35
 Saturnum fallunt dum Dictæi Corybantes.
 Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
 Altera dicitur esse Helice, quae monstrat Achivis
 In pelago nauis quò sit vertenda, sed illâ
 Se fidunt duce nocturnâ Phœnices in alto. 40
 Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
 Et latè primâ confestim à nocte videtur.
 Hæc verò parua est, sed nautis vsus in hæc est:
 Nam cursu interiore breui conuertitur orbe,
 Signaque Sidonis monstrat certissima nautis. 45
 Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
 Toruu' Draco serpit, subter, superaque reuoluens
 Sese, conficiensque sinus è corpore flexos,
 Quos cani tangunt immunes gurgitis Arctoi.
 Verùm hæc extrema circumdatur agmine caudæ, 50
 Quâ spiræ sinus est inuoluitur altera calo.
 Nempe Helice extrema circumdatur agmine caudæ,
 Quâ spiræ sinus est, caput est Cynosuridos Vrsæ:
 Quæ tamen usque pedes summo illum à vertice tangit.
 Retrogrado hic iterum cursu conuertitur anguis. 55
 Huic non vna modo caput ornans stella relucet,
 Verùm

- Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
 Et trucibusque oculis duo feruida lumina flammant,
 Atque vno mentum radianti sidere lucet:
- 60 Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum,
 Obtutum in caudam maioris figere dicas.
Opposita extremae capitis sunt dextera cauda.
 Hoc caput hic paullum sese, subitoque recondit,
 Ortus vbi, atque obitus partem admiscetur in vnam.
- 65 Quod tangens defessa velut mœrentis imago
 Vertitur, *hanc nemo certò tibi dicere possit,*
Aut quisnam, quo sit fessus labor: attamen illam
 Engonasin vocitant, genibus quod nixa feratur.
Illam petit binis manibus diuersa locorum,
- 70 Atque humeros supera tensis dispenditur vlnis,
 Et super ora cauis spirantia naribus ignem
 Serpentis dextra figit vestigia plantæ.
 Hic illa eximio posita est fulgore corona:
Hanc Ariadnaeum Bacchus testatus amorem
- 75 Intulit in calum quæ Nixi terga fatiscunt.
 Iuxta humeros sertum est: propter caput Anguitenentis
 Quem claro perhibent Ὠφιοχόου nomine Graij,
 Est caput illius, summoque ex vertice Nixi
 Perfacile alterius candentia sidera nosces.
- 80 Huic superà duplices humeros affixa videtur
 Stella, micans tali specie, taliq̃ nitore,
 Fulgeat ut pleno cum lumine Luna refulsit,
 Non par est geminis manibus vigor, & licet illis
 Nec nullus splendor, nec sit paruissima moles,
- 85 Attamen est tenuis disperso lumine fulgor.
 Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
 Eius & ipse manet religatus corpore toto,
 Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
 Ille tamen grauiter nitens vestigia ponit,
 90 Atque oculos vrget pedibus pectusque Nepai.

4
 Hic pressus dextrâ, surgit se parte sinistra,
 Sertaque suprema tangunt Minoia mala.
 Sub spirâ quæres immenso corpore chelas,
 Quæ tamen haud magnum iactant pro mole nitorem.
 Ipsam Helicen sequitur, non dispar forma bubulco,
 Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
 Quod quasi remone adiunctam præ se quatit Arcton.
 Clarus hic, & subter præcordia fixa tenetur
 Stella micans radiis Arcturus nomine claro.
 Hic se sub pedibus profert finita Booti
 Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo: 100
 Sive illi Astræus pater est, qui dicitur idem
 Sideribus stellis que pater, seu quilibet alter,
 Sit felix: sanè hæc narratur fabula vulgo.
 Incoluit calo terras Astræa reliq̄to, 105
 Conuentusque hominum non dedignata priorum,
 Sed nec fœmineos spernens inuisere cœtus,
 Lethi expers generi mortali mista resedit,
 Nomine Iustitiæ gaudens senibusque coactis,
 Sive foro in magno, seu latipatente plateâ, 110
 Civiles populis dictabat sedula leges:
 Nec mala lis fuerat, nec dum discordia nota,
 Nec fera seditio furiarat mobile vulgus,
 Sæua nec audaces fuerant freta passa carinas:
 Sed bubus tracto sulcantes vomere terras, 115
 Malebant tenui contenti viuere cultu,
 Sufficiente Deâ iustis pleno omnia cornu.
 Hæc manet, in sanctis dum gens manet aurea terris:
 Sed non argenti nimis est letata metallo,
 Moribus at-versis prior est quoque versa voluntas, 120
 Raraque peiori iunxit sua numina genti:
 Sola sed ex raucis descendens montibus ibat,
 Sub noctem, nulli teneris blandita loquelis,
 Sed simul ac magnas hominum venisset ad vrbes,

- 125 *Improba terrificis sic ultra est crimina verbis:*
 Non ego me dignor posthac monstrare videndam,
 Degener o prima proles nunc altera prolis,
 Degeneres iterumque iterumque habitura nepotes:
 Tunc fera bella hominum generi, caedesque nefanda
- 130 *Impendent, culpamque comes sua poena sequetur.*
 Sic ait, & populos intenta etiam ora tenentes
 Linqvit, & ad montes sylvarumque auia tendit.
 Hac atas vitam liquit, sobolemque reliquit.
 Ferrea tum vero proles exorta repente est,
- 135 *Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,*
 Et gustare manu victum, domitumque iuuenicum.
 Tunc mortale exosa genus Dea in alta volauit,
 Et Iouis in regno, caeli que in parte recepta est:
 Illustrem sortita locum, qua nocte serenâ
- 140 *Virgo conspicuo fulget vicina Bootae.*
 Huic, humeros superâ duplices, conuertitur alam
 Ad dextram, Graio Protrygeter nomine dicta,
 Stella micans, tali specie, tali que nitore,
 Qualis & immensa sub cauda voluitur Arcti.
- 145 *Illa quidem flagrans: sed & huic flagrantia plura:*
 Sidera, quae paruo poteris reperire labore.
 Quin etiam ante pedes magno fulgore notata
 Stella nitet: dehinc prima humeros subit, altera lumbos,
 Tertia sub caudam ad genus ipsum lumina pandit.
- 150 *Cetera sed certo passim sine nomine fulgent:*
 Et natos Geminos inuises sub caput Arcti,
 Subiectus mediae est Cancer, pedibusque tenetur
 Magni leo tremulam quatiens è corpore flammam:
 Explicat hic summos ardores semita Phœbi,
- 155 *Tunc nulla apparent per culta noualia spica,*
 Principioque adeo Solis per carula cali
 Hoc motu radiantis, Etesiae in vada ponti
 Procumbunt glomerati, & longo flamine spirant.

Tunc mihi non remis placeat ratis indiga, *verùm*
 Larga satis, rectoque ad venti commoda clauo. 160
 Si cupis Aurigam, atque auriga noscere stellas,
 Vllaque fama tuas Capræ peruenit ad aures,
 Hædorúmque simul, quorum duo lumina cernunt
 Sæpe per iratum iactata cadauera pontum,
 Sub læuâ is Geminorum obductus parte feretur. 165
 Aduersum caput huic Helice truculenta tuetur.
 At Capra læuum humerum clara obtinet: illa putatur
 Ubera adhuc paruo lactenda dedisse Tonanti;
 Hanc Iouis Oleniam capram dixere ministri.
 Verùm hæc est magno, atque illustri prædita signo, 170
 Contra hædi exiguum iaciunt mortalibus ignem
 Aurigæ in manibus: cuius vestigia seruans
 Corniger est valido connixus corpore Taurus,
 Quem non difficili ratione agnoscere possis.
 Namque illum exornant externi haud indiga signi 175
 Sidera, quæ viuum caput olli vtrinq; figurant,
 Inclita per totam spargentia lumina frontem:
 Has Græci stellas *Stadas* vocitare suerunt.
 Sed pes aurigæ dexter, cornuque sinistrum
 Tauri uno igne micant: pariterque feruntur vterque; 180
 At prior Aurigâ latum petit Oceanum bos,
 Cùm tamen è placidis surgant simul æquoris vndis.
 Quin etiam lasida domus antiquissima Cæpei
 Ærumnis est nota suis, quam Iupiter auctor
 Progeni subito præclaris intulit astris: 185
 Namque ipsum ad tergum Cynosuræ vertitur Arcti
 Iæsides pansis distendens brachia palmis,
 Tantaque ab extremâ cauda disternat Arcti
 Regula vtrumque pedem, quantâ pes à pede distat.
 Quod si à Cæpeo paulum tua lumina balthæo 190
 Dimoueas, versus seui agmina prima Draconis,
 Hic erit, haud plenâ poteris quam cernere lunâ

Obscurâ

- Obscurâ specie stellarum Cassiopea:
 Nam non crebra illi stellæ, neque sidera iuncta
 195 Egregium ex variis componunt ignibus ignem:
 Sed quali portas firmatas obiice clavi
 Occludit vœtis bifori vis obdita valvæ,
 Talia & hanc etiam priuè disposita figurant
 Sidera: & ipsa ad eò passis distenditur vlnis,
 200 Non secus ac sortem nata miseretur iniquam:
 Hanc namque illustri versatur corpore propter
 Andromeda, effugiens conspectum mæsta parentis:
 Quàm non sollicitus noctu labor inquirundi.
 Tam clarum caput est, tam magno sidere flagrant
 205 Ambo humeri, summique pedes, vœtèsque fluentis.
 Hæc etiam in varias distendit brachia partes,
 Vtque prius, sic nunc in magno vincula mundo
 Non releuant duro defessas pondere palmas.
 Huic equus ille iubam quatiens fulgore micanti
 210 Summâ contingit caput aluo, stellâque iungens
 Vna tenet duplices communi lumine formas,
 Æternum ex astris cupiens connectere nodum.
 Sed latus, atque armos depingunt terna caballi,
 Æquali à sese spatio, quæ sidera, distant,
 215 Eximio fulgore, quibus par nec caput altum
 Nec longa est ceruix: flagrantis at vltima mala
 Quattuor his aliis non cedat stella nitore,
 Fulgentes inter stellas media ipsa refulgens.
 Non equidem hic quadrupes, verùm media tenus aluo
 220 Conspicuis profert sonipes venerabilis ora.
 Hunc fama est olim propter iuga summa Heliconis,
 Hippocrenæum nobis donasse liquorem:
 Tunc nondum Aoniæ maduère virentia montis
 Fæcundo latice: Ut generosi prima caballi
 225 Ungula humum feruit, simul ingens profiliit fons,
 Vnde Caballinum primi vocitâre bubulci:

Ille qui-

Ille quidem stillans è saxis irrigat agros
 Thespia terra tuos: sed Equus pro munere tanto
 Exornat magni penetralia lucida celi.
 Exin contortis Aries cum cornibus hæret, 230
 Ille quidem æternùm longos agitatus in orbes
 Segnior haud currit signo Cynosuridos Arcti,
 Languidas obscurusque tamen, ceu Luna retundat
 Flammæ aciem, Andromedæ se propter cingula voluit,
 E quibus hunc subter possis cognoscere fultum: 235
 Iam cæli mediam partem terit, vt prius illæ
 Chelæ quum pectus quod cernitur Orionis.
 Et propè conspicias paruum sub pectore claro
 Andromedæ signum, Deltoton dicere Graij
 Quod soliti, simili quia formâ littera claret: 240
 Huic spatio ductum simili latus exstat vtrumque.
 At non tertia pars lateris: nam non minor illis,
 Sed stellis longè densis, præclara relucet.
 Inferior paullo est Aries, & flamen ad Austri
 Inclinator, atque etiam vehementius illo 245
 Pisces, quorum alter paullo prælabitur antè,
 Et magis horisonis Aquilonis tangitur alis,
 Atque horum è caudis duplices velut esse catenæ
 Dicuntur, sua diuersæ per lumina serpunt:
 Atque vnâ tandem in stellâ communiter hærent, 250
 Quam veteres soliti cælestem dicere Nodum.
 Andromedæ læuo ex humero si quæsere perges,
 Appositum poteris supera cognoscere piscem.
 E pedibus vatum summo natus Ioue Perseus,
 Quos humeris retinet defixo corpore Perseus, 255
 Quem summa ab regione Aquilonis flamina pulfant.
 Hic dextram ad sedes intendit Calliopeæ,
 Diuersosque pedes vinctos talaribus aptis
 Puluerulentus vti de terra lapsu' repentè
 In cælum victor magnum sub culmine portat. 260

At pro-

- 265 At propter læuum genus omni ex parte locatas
 Paruas Vergilias tenui cum luce videbis.
 Hæ septem vulgò perhibentur more vetusto
 Stellæ, cernuntur verò sex vndique paruæ.
 270 At non interiisse putari conuenit vnã :
 Sed frustra temerè à vulgo ratione sine vllâ
 Septem dicier, vt veteres statuere Poëtæ
 Æterno cunctas æuo qui nomine dignant.
 Alcyone, Meropeque, Celano, Taygeteque
 275 Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
 Hæ tenues paruo labentes lumine lucent :
 At magnum nomen signi, clarumque vocatur,
 Propterea quòd & æstatis primordia claret,
 Et post hiberni præpandens temporis ortus,
 280 Admonet, vt mandent mortales femina terris,
 Inde fides leuiter posita, & conuexa videtur,
 Mercurius paruis manibus quam dicitur olim
 Infirmis fabricatus in alta sede locasse.
 Quæ genus ad læuum Nixi delapsa resedit,
 285 Atque inter flexum genus, & caput Alitis hæsit.
 Namque est Ales auis, lato sub tegmine cæli
 Quæ volat, & serpens gemmis fecat aëra pennis :
 Altera pars huic obscura est, & luminis expertis :
 Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
 290 Sed mediocre iacit quatiens è corpore lumen.
 Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
 Gestit: iam verò clinata est vngula vehemens
 Fortis equi, propter pennati corporis alam.
 Ipse autem labens multis equus ille tenetur
 295 Piscibus: huic ceruix dextra mulctetur Aquarum.
 Serius hæc obitus terrarum iussit equinis,
 Quam gelidum valido de corpore frigus anhelans
 Corpore semifero magno Capricornus in orbe:
 Quem quum perpetuo vestiuit lumine Titan,

in cunis. Arab. v.
260. Grav. ad ducem
Solocist. p. 43. & G. p.

Brumali flectens contorquet tempore cursum. 295
 Hoc caue te ponto studeas comittere mense:
 Nam non longinquum spatium labere diurnum,
 Non hiberna cito voluetur curriculo nox:
 Humida non sese vestris aurora querelis
 Ocyus ostendet, clari prænuntia solis, 300
 At validis æquor pulsabit viribus Auster:
 Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
 Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
 Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
 Nec metuunt ganos minitanti murmure fluctus. 305
At nautæ fulicæ similes, mergo quæ natanti,
Anxia per totum in Tartarus luctantia pontum,
Ne quicquam nusquam parentia litora querunt,
Dum tepuis nigro tabula hos distinguit ab Orco.
 Atque etiam supero naui, pelagoque yagato, 310
 Mense, sagittipotens Solis cum sustinet orbem,
 Non multo leuiora putes instare pericla,
 Ante nigras cauitus tenebras subducere puppim.
 Nam iam cum minus exiguo lux tempore præsto est,
 Hoc signum veniens poterunt prænoscere nautæ: 315
 Iam propè præcipiti ante licebit visere nocti,
 Ut sese ostendens emergit Scorpius altè,
 Posteriore trahens flexum vi orporis arcum.
 Sed Nepa non multum prior, at prior exit ab undis.
 Iam superà certès Arcti caput esse minoris, 320
 Et magis erectum ad summum versarier orbem.
 Tum sese Orion toto iam corpore condit
 Extremâ prope nocte, & Cepheus conditur antè
 Lumborum tenus, à palmâ depulsus ab undas.
 Hic misso reuocans fulgens iacet vna sagitta, 325
 Quam propter nitens pennâ conuoluitur Ales:
 Et clinata magis paullo est Aquilonis ad auras
 At propter se Aquilam ardenti cum corpore portat,
 Igni

- Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
 330 Non minus ingenti eum corpore, sed graue maestis
 Ostendit nautis perturbans æquiora signum.
 Tum magni curius Capricorni cornua propter
 Delphinus iacet, haud nimio lustratu nitore,
 Præter quadruplices stellas in fronte locatas,
 335 Quas interuallum binas determinat vnum:
 Cetera pars læta tenui eum lumine serpit.
 Illæ quæ fulgent lutes ex ore coruscæ,
 Sunt inter partes gelidas Aquilonæ locatæ,
 Atque inter spatium, & læta vestigia Solis.
 340 At pars inferior Delphini fusca videtur
 Inter solis iter, simul inter flamina venti,
 Viribus erumpit quæ summi spiritus Austri,
 Exinde Orion obliquo corpore nitens,
 Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
 345 Quæm qui suspiciet in cælum nocte serenâ,
 Latè dispersum non viderit, abdita verò,
 Cetera se speret cognoscere signa potesse.
 Namque pedes subter rutilo eum lumine claret
 Feruidus ille Canis stellarum luce refulgens.
 350 Hunc regit obscurus subter præcordia Vesper:
 Ver toto spirans rapido de corpore flammam
 Æstiferos validis erumpit flatibus ignes:
 Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor,
Sirion hunc Græci præclaro nomine dicunt.
 355 Hic vbi se pariter cum sole in lumina cæli
 Extulit, haud patitur foliorum regimine frustra
 Suspensos animos arbuta ornata tenere:
 Nam quorum stirpes tellus amplexaprehendit,
 Hæc augens animia vitali flamine mulcet:
 360 At quorum nequeunt radices findere terras,
 Denudat foliis ramos, & cortice truncos.
Tendentem occiduas etiam hunc sentimus ad oras.

Cetera signandis sunt languida sidera membris.

Hunc propter, subterque pedes, quos diximus, ante
 Oriona iacet leuipes Lepus. hic fugit ictus
 Horrificos metuens rostri tremebundus acuti.
 Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu
 Præcipitantem agitans; oriens iam denique paullo
 Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
 At Canis ad caudam serpens prælabitur Argo,
 Conuersam præ se portans cum lumine puppim;
 Non aliæ naues vt in alto pondere proras
 Antè solent rostro Neptunia, prata secantes;
 Sed conuersa retrò cæli semper loca portat.
 Sicut quum captant tutos, constringere portus,
 Obuertunt nauem magno cum pondere nauæ,
 Aduersamque trahunt optata ad littora puppim,
 Sic conuersa vetus super æthera vertitur Argo,
 Atque vsque à prorâ ad cælum sine lumine malum,
 A malo ad puppim cum lumine clara videtur.
 Inde gubernaculum disperso lumine fulgens,
 Clari postetiora Canis vestigia condit.
 Exin semotam procul, in tutoque locatam
 Andromedam tamen explorans fera quæfere Pistrix
 Pergit, & vsque sitam validas Aquilonis ad auras,
 Cærulea vestigar finita in partibus Austri.
 Hanc Aries tegit, & squammosi corpore Pisces,
 Fluminis illustri tangentem corpore ripas.
 Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
 Cæli, funestum magnis cum viribus amnem,
 Quem lachrymis mæstæ Phaëthonis sæpe sorores
 Sparsferunt, lætum mærenti voce, eanentes.
 Hunc Orionis sub læua cernere plantâ
 Serpentem poteris proceraque vincla vidobis,
 Quæ retinent Pisces, caudarum parte locata,
 Flumine mixta retrò ad Pistricis tergâ reuerti.

Hic vna stella vertuntur, quam iacit ex se
 Pistricis spinæ valida cum luce refulgens.
 Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ,
 400 Inter Pistricem fusæ, sparsæque videntur,
 Atque gubernaculum stellæ, quas contegit omnis
 Formidans acrem morsum lepus: his neque nomen,
 Nec formam veteres certam statuisse videntur.
 Nam quæ sideribus claris natura poliuit,
 405 Et vario pinxit distinguens lumine formas,
 Hæc ille astrorum custos ratione notauit,
 Signaque signauit cælestia nomine vero:
 Has autem, quæ sunt paruo sub culmine fusæ,
 Consimili specie stellas, parilique nitore,
 410 Non potuit nobis nota clarere figura.
 Exinde, australem soliti quem dicere Piscem,
 Voluitur inferior Capricorno versus ad Austrum,
 Pistricem obseruans, procul illis Piscibus hærens.
 At propè conspicias expertes nominis omnes,
 415 Inter Pistricem, & Piscem quem diximus Austri,
 Stellas sub pedibus stratas radiantis Aquari.
 Propter Aquarius obscurum dextrâ rigat æmnam,
 Exiguo qui stellarum candore nitescit.
 E multis tamen his duo latè lumina fulgent:
 420 Vnum sub magnis pedibus cernetur Aquari:
 Quod superest gelido delapsum flumine fontis:
 Spiniferam subter caudam Pistricis adhæsit:
 Et tennes stellæ perhibentur nomine Aquari.
 Hic aliæ volitant paruo cum lumine clara,
 425 Atque priora pedum subeunt vestigia magni
 Arcitenentis, & obscuræ sine nomine cedunt.
 Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
 Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri,
 Exiguo superum quæ lumina tempore tranat:
 430 Nam procul Arcturo est aduersa parte locata:

Arcturo magnum spatium superà dedit orbem,
 Iupiter hunc paruum inferiore in parte locauit.
 Hæc tamen æterno inuisens loca curriculo nox,
 Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
 Commiserans hominum metuendos vndique casus.
 Nam quum fulgentem cernes sine nubibus atris
 Aram sub media cæli regione locatam,
 A summâ parte obscurâ caligine rectam,
 Tum validis fugito deuigans viribus Austrum:
 Quem si prospiciens vitaueris, omnia cautè
 Armamenta locans, tutò labère per vndas.
 Sin grauis inciderit vehementi flumine ventus
 Perfringet celsos defixo robore malos,
 Vt res nulla feras possit mulcere procellas,
 Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
 Cæperit, & subitis auris diduxerit ara.
 Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit,
 Ipseque cæruleâ contactus nube feretur,
 Atque Aram tenui caligans vestiet vimbâ,
 Ad signorum obitum vis est metuenda Fauoni.
 Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
 Quà sese claro collucens Scorpius infert,
 Hæc subter partem præportans ipse virilem
 Cedit, equi partes properans coniungere Chelis.
 Hic dextram porgens quadrupes qua vasta tenetur,
 Quam nemo certo donauit nomine Graium,
 Tendit & illustrem truculentus cedit ad Aram.
 Hic sese infernis de partibus erigit Hydra
 Præcipiti lapsu, flexo cum corpore serpens.
 Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepaion
 Conuexoque sinu subiens inferna Leonis,
 Centaurum leni contingit lubrica cauda:
 In medioque sinu fulgens cratera relucet,
 Extremum nitens plumato corpore Coruus
Rostro

- 465 Rostro tundit; & hic Geminis est ille sub ipsis;
 Ante canem, Graio Procyon qui nomine fertur.
 Hæc sunt, quæ visens nocturno tempore signa
 Legitimo cernes cæli lustrantia cursu.
 Aeternumque volens mundi pernoscere motum.
 470 Nam quæ per bis sex signorum labier orbes
 Quinque solent stellæ, simili ratione notari
 Non possunt: quia quæ faciunt vestigia cursu,
 Non eodem semper spatio portata teruntur.
 Sic malunt errare vaga per nubila cæli,
 475 Atque suos vario motu metiriæ orbes.
 Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
 Quum redeunt ad idem cæli sub regmine signum:
 Quare ego nunc nequeo totos euoluere cursus.
 Verum hæc, quæ semper certo voluuntur in orbe
 480 Fixa simul magnos edicam gentibus orbes.
 Quattuor æterno lustrantes lumine mundum,
 Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
 Amplexi terra cæli sub regmine fulti:
 E quibus annorum volitantia lumina nosces,
 485 Quæ densis distincta licebit cernere signis.
 Tum multos orbes magno cum lumine latos
 Vinctos inter se, & nodis cælestibus aptos,
 Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
 Nec sic nocturno cognoscens tempore cælum,
 490 Quum neque caligans detersit sidera nubes,
 Nec pleno stellis superavit lumine Luna,
 Vidisti magnum candentem serpere circum:
 Lacteus hic nimio fulgens candore notatur:
 Is non perpetuum detexens conficit orbem:
 495 Quattuor huic simili nitentes mole feruntur:
 Sed spatio multum superest: præstare duobus
 Dicitur & latè cæli lustrare cauernas.
 Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,

Ora petens geminorum, illustratum genus ardens
 In sese retinens Aurigæ portat vtrumque. 500
 Hunc sura læua Perseus humeroque sinistro
 Tangit: at Andromedæ hic dextra de parte tenetur,
 Cui manus ad Boreâ, cubitus cui spectat ad Austrum,
 Imponitque pedes duplices Equus: & simul Ales
 Ponit auis caput, & clinato corpore tergum. 505
 Anguitenens humeris connititur: illa recedens
 Austrum consequitur deuigans corpore Virgo.
 At vero totum spatium conuestit, & orbis
 Magnu' Leo & claro collucens lumine Cancer,
 In quo consistens conuertit curriculum Sol 510
 Æstiuus, medio distinguens corpore cursus.
 Hic totus medius circo disiungitur ipso:
 Subter testarum caua tegmina, & intus & extrâ,
 Lumen habens, sæui sed vis horrenda Leonis
 Pectoribus validis, atque aluo possidet orbem. 515
 Hunc octo in partes diuisum noscere circum
 Si potes, inuenies supero conuertier orbe
 Quinque, pari spatio, partes tres esse relictas,
 Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
 Ille quidem à Boreâ cancro connectitur auris, 520
 Alter ab infernis contra connititur Austris:
 Distribuens medium subter secat hic Capricornum,
 Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari
 Cæruleæque feram caudam Pistricis, & illum
 Fulgentem Leporé, inde pedes Canis, & simul amplam 525
 Argolicam retinet crebrò cum lumine Nauem:
 Tergaque Centauri, atque Nepai portat acumen:
 Inde Sagittari defixum possidet arcum.
 Hunc à clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
 Cedens postremum tangit rota feruida solis; 530
 Exinde in superas brumali tempore flexu
 Se recipit fedes: huic orbi quinque tributæ

Noctur-

Orbem signiferum perhibebunt nomine vero:
 Nam gerit hic voluens bis sex ardentia signa.
 Æstifer est pandens feruentia sidera Cancer:
 Hunc subter fulgens cedit vis torua Leonis: 570
 Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo:
 Exin proiectæ claro cum lumine Chelæ:
 Ipsa que consequitur lucens vis magna Nepai:
 Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum:
 Post hunc ore fero Capricornus vadere pergite: 575
 Humidus inde loci collucet Aquarius orbi.
 Exin squammigeri serpentes ludere Pisces:
 Queis comes est Aries obscuro lumine labens,
 Inflexo que genu proiecto corpore Taurus,
 Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem. 580
 Hæc sol æterno cœuēstie lumine lustrans,
 Annua conficiens vertentia corpora cursus.
 Hic quantus terris confectus pellitur orbis,
 Tantundem ille patens superà mortalibus edit.
 Sex omni semper cedunt labentia nocte, 585
 Tot cælum iussus fugientia signa reuisunt.
 Hoc spatium tranans cæcis nox conficit umbris,
 Quod superà terras prima de nocte relictum est,
 Signifer ex orbis, & signorum ordine fultum.
 Quod si solis aues certos cognoscere cursus, 590
 Ortus signorum nocturno tempore vises:
 Nam semper signum exoriens Titan trahit vnum,
 Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
 Aut adiment lucem cæca caligine nubes:
 Certas ipse notas cæli de tegmine fumes: 595
 Ortus atque obitus omnes cognoscere possis.
 Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
 Præcipitent obitum nocturno tempore nosces.
 Iam simul vt supero se toto lumine Cancer
 Extulit, extemplò cedit delapsa Corona, 600

Et loca conuifit caudâ tenuis infera Piscis,
 Dimidiam retinens stellis distincta Corona
 Partem etiam superâ, atque alia de parte repulsa est:
 Quem tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
 605 Tractus, sed supero contactus corpore cedit,
 Atque humeros usque à genibus, clarumque recondit
 Anguirenens validis magnum à ceruicibus Anguem.
 Iam verò Arctophylax non æquâ parte secatur.
 Nam breuior clara cæli de parte videtur,
 610 Amplior infernas depulsus possidet umbras.
 Quattuor hic obiens secum deducere signa
 Signifero solet ex orbi, tum serius ille,
 Quum supera sese satiauit luce, recedit,
 Post mediam labens claro cum corpore noctem.
 615 Hæc obscura tenens conuestit sidera tellus:
 At parte ex aliâ claris cum lucibus errat
 Orion humeris, & lato pectore fulgens,
 Et dextra retinens non cassum luminis enssem.
 Sed quum de terris vis est patefacta Leonis,
 620 Omnia, quæ cancer præclaro detulit ortu,
 Cedunt obscurata, simul vis maior Aquarû
 Pellitur, ac flexo confidens corpore Nixus.
 Iam supero ferme depulsus lumine cedit:
 Sed læuum genus, atque illustrem linquit in altum
 625 Plantam, tum contrâ exoritur clarum caput Hydræ,
 Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
 Ante Canem: inde Canis vestigia prima videntur.
 Non pauca è cælo depellens signa repente
 Exoritur candens illustria lumina Virgo.
 630 Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur vnda
 Delphinus, simul obregitur depulsa Sagitta,
 Atque auis ad summam caudam, primasque recedit
 Pinna, & magnus pariter delabitur Annis.
 Hic Equus à capite, & longa ceruice latefcit:

Longius exoritur iam claro corpore Serpens, 635
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.

Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,

Et post ipse trahit claro cum lumine Puppim:

Insequitur labens per cæli lumina Nauis. 640

Et cum iam toto processit corpore Virgo:

Hæc medium ostendit radiato stipite malum.

At quum procedunt obscuro corpore Chelæ,

Existit pariter larga cum luce Bootes,

Cuius in aduersum est Arcturus corpore fixus,

Totaque iam superà fulgens prolabitur Argo, 645

Hydraque quod latè cælo dispersa tenetur,

Nondum tota pater, nam caudam contegit umbra.

Anguitenens autem renouata luce refulget.

Iam dextrum genus, & decoratam lumine suram

Erigit ille vacans vulgato nomine Nifus, 650

Qui fidis Arcadicæ semper confinia tangit:

Quem nocte extinctum, atque exortum vidimus vnâ,

Persæpe vt paruum tranans gemmauerit orbem,

Hic genus, & Suram cum Chelis erigit altè,

Ipsæ autem præceps obscurâ nocte tenetur, 655

Dum Nepa, & Arcitenens inuisant lumina cæli,

Nam secum medium pandet Nepa, tollere verò,

In cælum totum exoriens conabitur arcus.

Hic tribus elatus cum signis corpore toto

Lucet, at exoritur mediâ de parte Corona, 660

Caudaque Centauri extremo candore refulget.

Hic se iam totum cæcas Equus abdit in umbras,

Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales.

Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Pistrix

Labitur, horribiles epulas funesta requirens: 665

Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas:

Illa vsque ad spinam mergens se cæcula condit.

At Cepheus caput atque humeros palmasque reclinat.

Quum

- Quum verò vis est vehemens exorta Nepai
 670 Late fusa volat : in terras labitur vnda,
 Orionque metu perculsus conditur vnà.
 Pace huius liceat causam explicuisse timoris
 Virgo tuâ, mihi quæso veni placata Diana.
 Hæc fama est hominum, hæc per terras fama vagatur!
 675 Ut quondam Orion manibus violasse Dianam
 Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
 Quos tener Ægæo defixa in gurgite Chius,
 Brachia quam viridi conuestit tegmine vitis.
 Ille feras vecors amenti corde necabat,
 680 Oenopionis auens epulas cenare nitentes.
 At verò pedibus subito perculsa Dianæ
 Insula discessit, disiectaque saxa reuellens
 Perculit, & cæcas lustrauit luce lacunas:
 Equibus ingenti existit cum corpore præ se
 685 Scorpius infestus, præportans flebile acumen.
 Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
 Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
 Ille graui moriens constrauit corpore terram.
 Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
 690 Orion fugiens commendat corpora terris.
 Tum verò fugit Andromeda, & Neptunia Pistrix:
 Tota latet, cedit conuerso corpore Cepheus
 Extremas medio contingens corpore terras.
 Hic caput, & superas potis est demergere parteis
 695 Infera lumborum nunquam conuestiet vmbra:
 Nam retinent Arcti lustrantes lumine furas
 Labitur illa simul gnata lachrymosa requirens
 Cassiopéa, neque ex cælo depulsa decorè
 Fertur: nam verso contingens vertice primum
 700 Terras post humeros euersa sede refertur.
 Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
 Cum quibus (vt perhibent) ausa est contendere forma.

Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ est
 Altera, cum caudaque omnis iam panditur Hydra.
 At caput, & totum sese Centaurus opacis 705
 Eripit è tenebris linquens vestigia parua,
 Ante pedum contacta: simul cum lumine pandit.
 Ipse feram dextrâ retinet, *sed cætera magni*
Exspectant arcus ortum. Prolabitur inde
 Anguitenens capite, & manibus, profert simul Anguis 710
 Iam caput, & summum flexo de corpore lumen.
 Hic ille exoritur conuerso corpore Nixus,
 Aluum, crura, humeros, simul & præcordia lustrans,
 Et dextra radios læto cum lumine iactans.
 Inde Sagittipotens superas conuifere luces 715
 Instatit, & mergit Nixi caput, & simul effert
 Sese clara Fides, & promit pectore Cepheus.
 Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit.
 Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra:
 Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu. 720
 Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
 Aurigam, instantemque Capram, paruos simul Hædos,
 Et magnam antiquo depellit nomine Nauem.
 Obruitur Procyon, emergunt Alite lapsum,
 Et terris volucris existit clara Sagitta. 725
 Crus dextrumque pedem linquens obit infera Perseus
 In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo.
At postquam superum conuifit Aquarius orbem,
Australisque Arcæ surgit sanctissima sedes,
Seque humero, & pedibus primis equus exerit altè: 730
Centauri oppositam deuoluit ad infera caudam
Nox, caput, & latos humeros, & pectora magna
Non potis obscurare, & Hydræ quæ proxima collo est
Subducit Spiram, rutilantiaque ora recondit:
Cætera sed longum radianti lumine perstant, 735
Nec prius à superis cedunt cum semifero oris

- Omnia, quàm surgant geminato corpore Pisces :
 Surgit & Aegouri vicinus ab aequore piscis,
 Parte alia exspectans instantis sideris ortum :
 740 Sic humeri Andromeda, & cum lassis in chytâ palmis
 Crura bipartito signorum tempore surgunt :
 Cùm primum planis Pisces orientur ab undis
 Andromedes dextrâs dabitur tibi cernere partes,
 At leuâs Aries linquens inferna locorum
 745 Ostendit terris, illo sub tempore fermè
 Hesperij seruantem Aram confinia ponti,
 Perseâque vsque humeros Eoâ in parte videbis :
 Hoc dubium est, cessânsne Aries præcordia Persei
 Attrahat, an Taurus : Tauro simul Æthera lustrat
 750 Sed non desinere hæc Tauro exoriente putarim :
 Nam vicina illis Aurigæ sidera fulgent,
 Quem tamen haud totum diâs in luminas oras
 Taurus agit, Geminis sed enim completur in ipsis
 Sed duplices hæc di, & cum plantâ capra sinistra
 755 Cum boue se tollunt, tunc terga immania Pistrix
 Erigit, & celi splendentem in formicæ caudam
 Occidit ipse etiam prima iam parte Bootes :
 Quattuor hunc lato vix condunt sidera ponto,
 Lauaque in occidentæ constans subuoluitur Ursæ.
 760 Ambo pedes vsque ad geminum genus Anguinenentis
 Cedentes cælo, atque immensa sub aequora lapsi,
 Surgentes alibi poterunt monstrare Gemellos.
 Iam lateri Pistrix nulli vicina videtur,
 Mox visenda tamen, cùm iam fluij agmina prima
 765 In medio venient nauæ cernenda profundo,
 Qui signum exspectans magnum manet Orionæ,
 Nempe iter ut ratis, & noctis mensura patefcât,
 Qualia plura hominum generi Di signa dederunt.

D I O S E M E I A.

P R I M V M equidem modica parent cum cornua Phœbes
 Equore ab Hesperio, nascentem cernere mensem est:
 At cum prima Dea tenuem lux emouet umbram,
 Luna tibi quartam properabit reddere lucem.
 Dimidia octauam, medium fax integra mensem
 Denotat, atque aliàs aliis variata figuris
 Venturi numerum solita est narrare dici.
 Nempe extrema tibi poterunt edicere noctis
 Signiferi partes, magnum qui digerit annum.
 Quin & plantandi cum tempore, tempus arandi
 Iupiter è cælo cunctis monstrauit Olympo.
 Nauita venturos è cælo prouidet imbres,
 Et catus in medio sauos timet equore nimbos,
 Arcturum obseruans, & cætera sidera ponto
 Aut creper à luce, aut primis exacta tenebris,
 Scilicet hæc longo rota feruida Solis in anno
 Permeat, aut pelago candens cum surgit Eoò,
 Aut ruber occidui cum mergitur æquoris undis,
 Cuncta suam spectant dum cæli sidera lucem.
 Scire tibi hoc facile est: namque isthæc omnia monstrant
 Bis quini atque nouem Phœbei luminis orbes.
 Quid ferat Orion à zona clarus ad imum
 Jam nosti, & rabido flagrantem Sirion æstu.
 Jam varias sortes terræ & maris è Iouis astris
 Nosce potes, stellis que tridentiferi Neptuni.
 His operam naua: nec sit tibi querere durum,
 Si te sollicito cupias committere ponto,
 Quæ tibi vel fludens vel venti flumina monstrant.
 Est labor hic paruus: non præmia parua labori,
 Grandiaque assiduas edulcant gaudia curas.
 Ipse etiam sese seruat sibi, seruat & illum,
 Quem monet horrendum, sapiens, vitare periculum,

- Sape ad eò nanem pelago sub nocte serenam
 Subducit, metuens venturam manè procellam.
- 35 Tertia nunc illam, nunc quarta aurora videbit:
 Nunc subita incautos veniet super. omnia nondum
 Iupiter humanum docuit genus: abdit a cecis
 Multa latent tenebris: quæ, cum volet, ipse docebit
 Altitonans, qui nos præclaris undique signis
- 40 Adiuuat, & sortis tradit monumenta futura.
 Multa monet facies aut dimidiata Dianæ,
 Aut utraq; augens, aut aucto lumine fulgens.
 Multa etiam Eo à surgens Sol aureus orâ,
 Occiduum ve petens: & sunt etiam altera signa
- 45 Plurima, quæ noctu, vel clara luce videntur.
 Obserua primùm nitida duo cornua Lunæ,
 Illam aliàs alio depingit lumine Vesper,
 Et diuersa redit variatæ forma Dianæ,
 Cum primò crescit, cum quarta, & tertia fulget.
- 50 Hec etiam instantem poterit tibi ducere mensem.
 Tertia nam tenui, sed puro sidere fulgens
 Suda erit: at raro paulum perfusa rubore
 Ventosa est: nullo si cornua acumine surgant,
 Quartaque quæ sequitur crasso fax langueat igni,
- 55 Aut Austro, aut pluuiæ properis obtunditur vndis.
 Quòd si nec nutent nascentis cornua Lunæ,
 Tertia nec iaceat resupina per æthera Phœbe,
 Cornua sed rectè per calum prona ferantur,
 Cras Tertessiacis Zephyrus spirabit ab oris.
- 60 At cum recta etiam quarta sub luce renidet,
 Collectam metues pluuiam, tunc omnia nimbo
 Feruere decido cernes. cornu altius aptè
 Inflexum, Boream; resupinum parturit Austros.
 Sed si post triduum Lunam ruber ambiat orbis,
- 65 Tempestas pelago, tempestas imminet agris:
 Quoque rubor maior, maior solet esse procella.

Bis cum dimidio, cum pleno lumine fulget
 Aspice, cum crescit, cum cornua prisca resumit,
 Aspice: signa tibi color haud dabit irrita mensis.
 Namque auram facies portendit pura serenam;
 At cum tota rubet furibundos indicat Austros;
 Imber erit nigro si sit Variata colore.
 Tempora sed dandis non sunt paria omnia signis:
 Nam quae quarta tulit Phoebe vel tertia, durant
 Dimidiam ad Lunam, quae dimidia omnia tendunt
 Ad plenam, quae plena dedit spectare videntur
 Dimidiam rursus, & quae tunc praebentur ab illa,
 Excipiet moribundi aut quarta, aut tertia mensis.
 Si parilis totam Latoïda circulus ambit,
 Aut terni geminive vtraque ex parte locati,
 Vnicus aut ventos nobis, aut indicat aethram;
 Diruptus ventos, euavidus indicat aethram,
 Horriferos nimbos geminatus praemonet orbis,
 Maior esque trahit triplicata corona procellas;
 Maiores si nigra iacet, si scinditur aëtro.
 Haec tibi vel mensis, vel Phoebe menstrua dicent:
 Nec solem geminâ spectare in litoris aethra
 Paniteat: Solem certissima signa sequentur:
 Cum surget gelidis, & cum se condet in vndis.
 Nolim interstinctam, cum deseret aequora, lucem
 Cernere, si Soles optem radiare serenos;
 Malim vnum nullis maculis spectare colorem:
 Si iuga demat equis pacato lumine Titan,
 Blandus, & Hesperium subeat sine nubibus equor,
 Pulcra serena die poteris sperare sequenti.
 Non ita si recavus summo de margine surgat,
 Fulgeat aut sparsis radius: pars tendat ad Austrum,
 Pars eat ad Borean, mediis que renideat orbis,
 Tunc aut suspectus tibi sit Notus, aut grauis imber.
 Vt videas, subsine suo lux splendida Soli,

- Inspice Solem ipsum (namque is certissimus auctor)
 Inspice num rubeat (fieri quod saepe videmus:
 Creber enim educit contracta nube ruborem)
 An niger obscuret faciem: niger indicat imbres,
 105 Rubraque venturos species denuntiat Euros.
 Sin ruber incipiet color immiscerier atro,
 Omnia tunc Boreâ pariter pluviaque videbis.
 Feruere: sin radij coeant, crescantque sub vnum,
 Cum pelago Titan, terrisve admonerit orbem,
 110 Aut lateat victus per nubila, siue relicta
 Noctè petens lucem, seu noctem luce relicta,
 Illa dies pluias, & quæ nascetur ab illa
 Proferet: Eo nec si præcuntia celo
 Nubila Sol radiis pieto dissecerit astro,
 115 Sis pluvia ignarus: si se Titanus orbis
 Eo latè diffuderit equore surgens,
 Indè magisque, magisque ex sparsum contrahat ignem,
 Dulcior aethra subest, pluuio se tempore quanquam
 Abdiderit Phœbus: si celo decidit imber,
 120 Ex imbri alterius sortem te querere lucis,
 Nubilaque, & Solem moneo spectare cadentem.
 Nam si nigrae obiens condatur carcere nubis
 Phœbus, & exiguo radij fulgore micantes
 Immensum nebulis circumfundantur in orbem,
 125 Non erit alterius melior fortuna diei.
 Purus at Hesperias si Sol labatur in vndas,
 Cumque parat terris in aquas migrare relietis,
 Vicina rubeant nubes, non crastinus imber,
 Non tibi noeturno est metuendus tempore nimbus.
 130 Si Solis radij nigris absconsa tenebris
 Marcentes nitido depromant lumina celo,
 (Ut cum Luna means Hyperionis officit orbi,
 Stinguuntur radij cæca caligine tecti.)
 Aut Phœbo instantem tardanti reddere lucem,

Se toto fundant latè ignea nubila celo,
 Non sicco prægnaans arebit puluere tellus,
 Nec tibi, si superis cùm Sol est proximus oris,
 Obscurâ radios præeunteis luce videbis,
 Sit pudor aut pluuiam, aut ventos vitare futuros.
 Quoque adeò surgens primo iubar equore condunt
 Maiores tenebrae, maior supereminet imber. 140
 Sin tenui lateant radij caligine, qualis
 Est teneræ facies nebulae, & subtilibus umbris,
 Venturus rapidis Sol obscurabitur austris.
 Sed neque si cingat nigro splendore corolla
 Suda dabit, quoque est Solis vicinior astro 145
 Quo nigrior, peior: binæ sæuissima signa.
 Aspice num terras cùm Sol petit, aut petit undas.
 Erubeant nubes, (dixere Parelia Graij)
 A Boreâ, aut Austro, aut à Boreâ, & ab austro, 150
 Aspice, & hanc secors non vnquam negligè curam.
 Namque vtrumque facis si nubila surgere cernes
 Æmula Phœbea, mediūque apud æquora Phœbum,
 Nulla mora est, subito densissimus ingruit imber.
 Sin Boreas vnâ celi sub culmina nubem 155
 Emitterat, metue à Boreâ, sin Auster ab austro.
 Iunctus erit nimbus, si iunctæ nubibus vnda.
 Quin etiam occidui spectabis littoris oram,
 Certa tibi Occidui monstrabit littoris ora
 At vero tenui caligans lumine Phatne 160
 Signa dat in Cancro spectans aquilonia flabra:
 Et gemine tenui stella fulgore micantes:
 Has non distantes nimium, nimium ve propinquas
 Dispercit spatium cubito non latius vno:
 Illa subit Borean, subit hæc vicinior Austrum. 165
 Has Afinos dicunt: mediam Præsepe vocarunt,
 Quod subito liquidas sepe euanescit in anras,
 Cùm celi nituit genitabilis aura sereni,

- Coniungens geminos subtrahito sidere asellos:
 170 Postilla undosam poteris spectare procellam.
 Si nigra sit Phatne, geminis color unus in astris
 Si niteat, pluuiis declinibus arua madebunt.
 Si Borea propior languenti torpeat igne
 Nube latens cacà, niteat vicinior Austro,
 175 Par metuisse Notum est: contra hic si marceat, ille
 Fulgeat, à sauo ventos Aquilone notabis.
 Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
 Inflatum mare, cum subito penitusque tuinescit,
 Saxaque cana salis niueo spumata liquore
 180 Tristificas certant Neptuno reddere voces:
 Aut densus stridor cum celso è vertice montis
 Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulso.
 Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
 Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
 185 Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.
 Cephphum etiam videas calo volitare sereno
 Contra venturos commixum corpore ventos:
 Sæpe feras anates cernas, mergosve relicto
 Aequore, mox tremulis tellurem plangere pennis,
 190 Aut iuga se superà montis distendere nubem:
 Quin etiam pappi senium canentis acanthæ
 Dant venti indicium, numero cum forte videntur
 Innumero placidi fluitare per aquora ponti.
 Imò adeo ex illà, volitant quæ dira per æstum
 195 Fulgura, parte potes venturos noscere flatus.
 Si videas stellas noctis volitare per umbram
 Præcipites, longosque à tergo albescere tractus,
 Hoc iter emensi venient per inania venti.
 Si variâ varias videas ex parte cadentis
 200 In terras ruere, & cali per nubila ferri,
 Discordes tendent animæ in diuersa locorum,
 Et vario humanas percellent flamine mentes.

Fulmen ubi ex Euro, fulmen volitabit ab Austro,
 Et Zephyro horriferaeque Arctoi Aquilonis ab auris,
 Tunc nauta pavidos penetrat tremor algidus artus. 205
 O utinam pelago ne tunc obsessus, & imbre
 Mixta perhorrescat densatis fulgura nimbis!
 Sæpe etiam pluvia poteris spectare futura
 Nubila, ceu lana per calum veller a ferri:
 Tum gemino cingit calum Thaumantias arcu, 210
 Aut aliqua atratam præducit stella corollam:
 Crebra etiam volucris salsas & crebra palustres
 Haurit aquas, potasque sitit vehementius undas.
 Sæpe etiam pluvia prænuntia venit hirundo,
 Limosam tumido protundens ventre paludem. 215
 Vos quoque signa videtis aquai dulcis alumnae,
 Cum clamore paratis inaneis fundere voces,
 Absurdoque sono fonteis & stagna cietis.
 Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
 Et matutinis acredula vocibus instat, 220
 Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,
 Cum primùm gelidos rores aurora remittit:
 Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix
 Demersit caput, & fluctum ceruice recepit:
 Mollipedesque boues spectantes lumina cæli, 225
 Naribus humiferum duxere ex aëre succum.
 Sæpius & tectis effert penetrabilibus ora
 Angustum formica terens iter, vndique & albos
 Millepedes circa muros cernuntur fuli,
 Quaeque nigra veteres dixerunt viscera terra. 230
 Tunc quoque cristatae soboles Gallinae volucris
 Ore pedes legit, & crocicans è gutture rauco
 Expressit sonitus vnde stillantis in undam.
 Tunc volucris galli soboles, pulicesque, pedesque,
 Inquirit pipiens, summaque indagine lustrat, 235
 Stillantisque vnde sonitus imitatur acutos.

- Coruus, & atratis velata monedula pennis
 Venturo terras maditur as imbre monebunt,
 Accipitrum in morem, si magnis garrula turmis
 240 Agmina concelebrent: grauibus vox amula guttis
 Coruorum: pluuias praedixit saepe futuras
 Aut adeo streperas gaudens coniungere voces
 Increpuit crociens densis exercitus alis.
 Tunc mansuetæ anates, atque intra limina degens
 245 Graculus assiduus quatunt suggrundia pennis:
 Tunc fulicæ magnis poscunt clamoribus vndas.
 Hæc ne, si pluuiæ cupies cognoscere sortem,
 Despicias, nec cum solito maioribus ausis
 Purpureum muscæ certant haurire cruorem:
 250 Aut nocte incipiunt putres concreescere fungi,
 Ardenti in testâ: gelidæ vel tempore brumæ,
 Nunc se submitit sublimes ardor in auras,
 Et nunc deciduos ignes vomuere lucernæ
 Ampullis similes, tenuésue à lumine summo
 255 Dimanant radij, seu fortè æstate serena
 Conspectas densas anatum volitare cateruas:
 Aut igni appositas multo cum lumine cernis
 Scintillare ollas, & multo ex ære lebetes:
 In cinerive vides rutilas carbone tepenti
 260 Effer vere notas, formam non dispare cenchrâ.
 Hæc catus observa, & pluuiam sperare memento.
 Infima si montis videas sola cuncta tenebris
 Et cacâ obuolui nebulâ, summumque cacumens
 Nulla nube premi, candenti fide sereno.
 265 Fide sereno etiam, ponti super aquora ferri
 Nubila si cernas, sed nondum vergere in altum
 Ceu pelago eminulas videas consurgere rupes.
 Cum renitet sudum, venturam inquire procellam:
 Cumque procella furit sudum: atque omnia Phatnem
 270 Aspice, quæ curui conclusa est sidere Cancrî,

Primum adeò abster sis cum fulget pura tenebris:
 Hâc pura subito tempeſtas horrida cedit.
 Hinc tacita in lychnis flamma, blandumque ſuſurrans
 Noctua ſub mediam noctem, marceſcere ſenſim
 Horriſonas monſtrant hyemes, & veſpere ſero
 Voce canens variâ placidum cornicula carmen.
 Rauca etiam primum ſoli tunc murmura corui
 Ingeminant, & ſe magno poſt agmine iungunt,
 Atque alacri ſubeunt nocturna cubilia turma
 Cantantes multum: multum gaudere putares,
 Sic letos miſtim iactant ſuper æthera cantus:
 Et vel in aëriis ramis, vel in arbore ſummâ,
 Concutiunt reduces Eo tempore pennas.
 Tunc immenſa gruum videas veniente ſereno
 Agmina prolixo ferri ſuper aëra tractu,
 Nec ſemel inceptum verſo pede flectere curſum.
 Si ſubito aſtrorum nitidum iubar obſcuretur,
 Nec denſæ abſcondant atrâ caligine nubes,
 Nec nebulis, nec ſint vitrici obnoxia Luna,
 Inclita ſed proprio marceſcant ſidera motu,
 Tunc tibi non placidam promittit Iupiter æthram,
 Sed triteis auras: Cæli regione ſub una
 Immotam videas illo quoque tempore nubem,
 Præterlapſam aliam, atque aliam poſt terga ſequentem.
 Ibit & ad paſtum magnis clangoribus anſer:
 Sacula paſſa nouem cornix tibi ſigna procelle
 Nocte dabit ſtridens, ſerumque monedula cantans,
 Et ſurgente die paſſer, reliqueque volucres
 Equora linquentes: tunc & ſpælea ſubibit
 Orchilus, & recauas latebras anquiret Eritheus,
 Nocturnoque ſatur condetur graculus antro.
 Cum fera tempeſtas inſtat nulla undique ceras
 Phœnicias variarum apium ſtruxere caterve,
 Mellifico aſt intus ſeſe accinxere labori:

- 305 *Atque iter inceptum refugo per aperta Volatu*
Strymoniae rupere grues, & terga dederunt.
Nec leuis in placido cum fertur aranea calo,
Aut inuita nitet manantis flamma lucerna,
Aut tenuis cinerem percurrit fulgor ab igni,
 310 *Neglige sauiam hyemem. Sed quid documenta futuri.*
Multa tibi referam? cinis (& quid vilis illo?)
Concretus nimium nivos demuntiat imbres:
Præmonet hos & fax nocturni conscia pensi,
Cum milio paribus candent ellychnia signis.
 315 *Tunc spisso veniet glacialis ab æthere grando,*
Cum nitet extremus candenti lumine carbo,
Sed medius nebulae tenui velatur amictu.
Non caruit signis, quæ non & fructibus, ilex,
Non nigra lentiscus: ne forsitan inutilis æstas
 320 *Efflueret manibus crebrum mouere colonum.*
Cum nigra densatis curuatur glandibus ilex,
Inuocat hyberna gelidissima tempora bruma.
Sin modicos radix emittat vniuersa fructus,
Nulla obsessa situ tellus florebit aristis,
 325 *Iam verò semper viridis, semperque grauata*
Lentiscus, triplici solita est grandescere foetu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi:
Nam tres esse ferunt promendi vomeris horas,
Primus habet primam fructus, mediusque secundam,
 330 *Tertius extremo foetus respondet aratro.*
Si granida egregios glandis lentiscus aceruos
Proferat, hoc largas sperabis ab omine messes,
Et modicam modicam, parcam prænoscere parcam
Glande potes: terno pariter quæ tempore floret
 335 *Squilla tibi dicet quo surgant mergite culmi:*
Nam quacunque auidum lentiscus foeta colonum
Præmonuit, squilla poterunt tibi dicere flores.
Si crebra autumno videas pereunte moueri

Agmina Vesparum, subita se frigora brumæ,
 Ante etiam Hesperio quàm surgant Pleiades ortu, 340
 Precipitant, densoque ruit cum turbine vortex.
 Si porcæ turpes, & oves, gracilesque capellæ,
 Expectare mares aueant genitalibus armis,
 Concubitusque novos semper iam nota voluptas.
 Sollicitet, simili brumam ratione notabis. 345
 Si videt in Venerem tardas, nec sponte moueri
 Securas nimium generis, cui pallia desunt
 Gaudet inops, hyemes iussus sperare serenas:
 Gaudet & assuetâ gruibus venientibus hora
 Tempora qui seruat, tardis & tardus arator: 350
 Namque grues ventura imitantur tempora brumæ:
 Si subito veniunt, densisque per aëra turmis
 Immitis festinat hyems, si tardius illæ
 Agmine non uno, non uno tempore tendunt,
 Lenis hyems serum veniens sata sera iuuabit. 355
 Si granido autumno pecudes, & buccera sæcla,
 Effodiant pedibus glebas, obnixaque vento
 Sustinent capita, horrendis furibunda procellis:
 Surget hyems, nostros fugiet cum lucida visus,
 Pleias, & miseros vexabit bruma colonos, 360
 Non teneræ plantæ, flauo non vilis aruo,
 Quin potius totis iaceat nix plurima terris,
 Cum nondum grandæis culmus distinxit aristas,
 Ut beet agricolam multo cum fœnore tellus.
 Nolim equidem gemini, plurisque, vnique cometes, 365
 Flammiferum ducant spatioso limite crinem,
 Ne fitiat toto tellus male fertilis anno:
 Nec qui continuam profcindit vomere terram,
 Si forte emittat volucres circumflua multas.
 Insula, letetur: timeat magis: obsita multo 370
 Ne squallore seges vanis eludat auenis
 Spes tumidas domini: sed ubi conspexerit illas

- Gaudeat *Opilio*, siquidem tunc lacte recenti
 Implebunt multum niueæ mulctralia vacca.
- 375 Sic (miserandum) alios alienis vivere damnis
 Nos voluere *Dij*, & semper contraria vota
 Fundere, & exiguis varias spes pascere signis.
 Venturas hyemes pecoris didicere magistri
 Cum depulsi ouium properant ad pabula factus,
 Lanigerique duces pecoris cum fortibus agnis,
- 380 Innixi gemino ludunt per compita cornu,
 Hirsuti que pedes multo cum pulvere iabant,
 Cornigeri binos duces, quattuor agni:
 Aut ubi iam sero processit *Vesper* *Olympo*
 Inuiti stabulum repetunt, atque obuia carpunt
- 385 Gramina, nec missos curant in terga lapillos.
 Sæpe etiam instantem mimitari dira procellam
 Ruricola docuere boues, cum lingere tentant
 Posteriora pedum glabris vestigia linguis,
 Aut dextrum in stabulo ponunt latus: hisce magistris.
- 390 Stiuæ opus inceptum differt longæuus arator.
 Sæpe etiam insolito mugitu pascua complent,
 Cum stabula, & notos repetunt armenta penates,
 Floridaque inuitæ linquentes prata iuuentæ
 Ante feras cupiunt ventrem saturasse procellas:
- 395 Nec leuis ilicis nimium capra dedita ramis
 Suda monet, multo nec circumfusa luto sus.
 Si secum in campis vlulet, solusque pererret
 Arua ignota lupus, quem dira coëgit egestas
 Non vitare homines, propiusque accedere suafit
- 400 Mendico similem, & dignam conquirere prædam,
 Tertius æquoreis cum surget *Lucifer* undis
 Horrida tempestas instat: Sic cætera cuncta
 Venti que pluuia que, & sæua signa procellæ
 Ipsa, sequensve dies, aut tertia perficit Eos.
- 405 Quin etiam paruos, despecta animalia, mures

Confremere, & letas visos ductare choreas
 V sibus edocti non contempere priores,
 Sollicitosque canes: gemino pede nam sola terra
 Dum canis infestat sevas prænuntiat auras. 410
 Tunc etiam equoreis exurgit Cancer ab undis,
 Solus & in sicca secum spatiatur arenâ.
 Inde domus socij mures è mollibus herbis
 Componunt pedibus lectos, pluuiamque futuram,
 Venturasque hyemes gaudent eludere somni. 415
 Hac ne despicias: sed signum iungere signo
 Esto memor, geminis rem præsignantibus unam.
 Spes subeat: ternis ut sit fiducia signis.
 Quin & præterito quæcumque notaueris anno
 Confer, & observa queis sidera quæque diebus 420
 Humanos fugiant visus, fugiantve tenebras,
 Quidve astrum moneat: nec sit tibi querere durum,
 Quid vel nascenti primum, vel quarta cadenti
 Mense ferat; luces namque hæc, seu vincula, menses
 Connectunt geminos, atque octo noctibus æther 425
 Lubricus est, te cæta Phœbe cum luce laborat.
 Quæ tu si totum fueris speculatus in annum,
 Certa tibi certum promet præsagia cælum. 430

FINIS.

Fragmenta Ciceronis, quæ vix huc
referri potuerunt.

*

Caprigeni pecoris custos, de gurgite vasto.

*

Nauibus amissis fluitantia querere aplusra.